

## TITULUS IV.

## De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

## CAPUT I.

## De Officio Custodum.

- 1 Officium Custodum de Jure communi.
- 2 In Decretalibus non agitur de hodiernis Ecclesiarum Parochialium Custodibus.
- 3 Functiones Custodum ex Synodis Belgicis.
- 4 Custodes cautionem dare debent.
- 5 Cura ipsorum circa nitorem Ecclesiarum.

**I**us Decretalium consulamus, quod pro jure communi hodie receptum est, Custodis est, ea quae Ecclesiae competunt, custodire; in Canonicis horis signa tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono jubente pulsare; pallia vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiae indefinenter custodire; lampades & laternas in accendendo, seu extinguendo, pervigilem existere. *Cap. 1. De Off. Custodis.*

Adhaec sollicitus esse debet de omni ornamento Ecclesiae, & luminariis sive incenso; nec non panem & vinum omnitempore paratum ad Missam habere debet. Praeterea omnes oblationes seu decimas cum consensu tamen Archidiaconi absente Episcopo, inter Fratres dividat. *Cap. 2. eod. tit.*

II. Hic non de Custodibus Ecclesiarum Parochialium, quales hodie in plerisque sunt, tractari, sed potius de Custode Cathedralis, aut Collegiatae Ecclesiae, quem Thesaurarium dicimus, & plerumque Canonicis dignitate praecedat, tum officia jam descripta, tum illa ab Archidiacono dependentia sit innuunt; praesertim cum in dicto Capitulo 2. referatur ex Concilio Toletano, eam esse Custodis eminentiam, ut in his tribus, nimirum, Archidiacono, Archipresbytero & Custode, tamquam in tribus *Ecclesia Columnis* consistere debeat *alma Mater Ecclesia*: Quae nullatenus congruere Custodibus sive Matriculariis Parochialium Ecclesiarum nemo non videt. Quapropter cum de his dumtaxat hoc titulo agere decreverim, functiones non tam ex jure communi, quam Synodis Belgicis, quae de his Custodibus ex professo agunt, petendae sunt.

Illud cum primis ex Synodis constat, Custodes esse Parochorum eorumque vices gerentium in administratione Sacramentorum divinorumque Officiorum per solutione ministros, & ministros.

III. "Pastori, vel ejus vices gerenti, ait Synodus Gandensis, diebus Dominicis & Festis Vesperas & Laudes, vespertinas solemniter decantanti, Custos in habitu decenti & superpelliceo indutus debite assistet, prout & Missam solemnem vel privatam quocumque anni die celebranti, ac paratus erit quacumque hora illi a Pastore significanda saltem quoad Missas, ut Pastori inserviat in muneribus Pastoralibus ipsius auxilium requirentibus; cavebit igitur, ne sine Pastoris licentia sese absenter, imo si interdum ob negotia privata domo sua abesse cogatur, mandamus, ut alteri idoneo & Pastori grato vices suas committat, vel de absentia sua domesticos aut vicinos suos vel ipsum Pastorem certiore reddat, quoniam pergat, quatenus necessitate vel occasione urgente facile valeat reperiri, & advocari." *Tit. 16. cap. 19.*

Huic conformes sunt pleraeque Belgicae Synodi; additque Audomarensis 1583. *tit. 20. cap. 2.* "Ornamenta, bonaque Ecclesiae solliciti sint ut ne perdantur, seduli ut lacera fractave restaurent, aut Ecclesiae impensis restaurari curent, prudentes ut detrita indecore non prodeant, in servitium Dei. Dent operam ut sursum & deorsum, in templis omnia sint munda ac nitida. Pavimenta, pa-

rietes, altaria altarium tecta & sacras vestes tergant frequenter, Altarium mappas, Sacerdotum amictus atque albas, sacra Corporalia, calicum purificatoria, priusquam evadant sordida, mutant, aut Sacerdotibus mutanda dent: phialas sive ampullas, quibus vinum & aqua subministrantur, singulis septimanis ut minimum lavent, ac mundent. Non committant ut dent Sacerdotibus ad Sacrificium panem mucidum aut maculosum, vinum acidum, impurum, evanidum, aut quod pridie profana mensa respueit. Denique in omnibus diligenter & fideliter quae officii sui sunt praesentent, magnis a Deo praemiis remunerandi.

Quae haec Synodus suscipit, paucis comprehendat Synodus I. P. Cameracensis: "Vestes, ornamenta, suppellectilem diligenter conservent, exponantque, & reponant, honeste ut dignum est." *tit. De ministeriis Eccles. cap. 10.*

Verum non ubique curae Custodum eadem concedi; sed alibi pauciora, sicut indicat Synodus Namurcensis anni 1604. statuens. "ut iis in locis, ubi Matricularii cura & custodia ornamentorum & aliorum mobilium bonorum Ecclesiae committuntur, non admittatur ad hoc munus, nisi sufficientem judicio Pastoris & praecipuorum Parochianorum, de iis fideliter conservandis & restituendis praebuerint cautionem." *tit. 9. cap. 11.*

IV. Quoad hanc cautionem a Custodibus praestandam, Synodus D. Mechl. 1609. vult, ut requisiti dent cautionem pro his, quae illorum curae committuntur. Similem cautionem aliae Synodi quoque exigunt; eamque nonnullae sufficientem judicio Pastoris & Notabilium; in qua re uniuersumque Ecclesiae consuetudo & statuta attendenda sunt.

V. Denique praecipit jam citata Synodus Namurcensis 1612. "Ut moneantur diligenter & frequenter a Pastoribus, ut nullas in Altaribus aut in Paricibus, nec in ipso templi pavimento, imo nec in cimiteriis notabiles sordes patiantur, sed re ipsa omnibus testentur, se diligere & decorem Domus Dei, cuius ministerio sunt mancipari."

## CAPUT II.

## Qui ad Officium Custodum admittendi, &amp; qui rejiciendi.

- 1 Custodes Ministris Ecclesiae annumerandi.
- 2 Horum qualitates habere debent.
- 3 Saecularibus Officiis implicari assumi non possunt.
- 4 Debent se exhibere ut Ministros Ecclesiae.
- 5 Simoniam sapit vendere Officium Custodis.
- 6 Tangitur abusus circa Ministerium Missae.

**U**i functiones, & munia Custodum praecedenti capite breviter exhibita expendit, haud difficulter fatebitur, Custodes Ministris Ecclesiae, eorumque Officia Ecclesiasticis Ministeriis esse annumeranda: Adeoque eas merito in Custodibus conditiones & qualitates requiri, quae dignos Ecclesiae Ministros decent; eaque omnia ab iis esse fugienda, quae hujusmodi Ecclesiae Ministros dedecent; & per quae ministerium ipsorum vituperaretur.

II. "Considerantes indecorum esse, inquit Patres Synodi Brugensis sub Driutio, statui Ecclesiastico, Laicos, quibus jure vetitum est, cancellos sive chorum Ecclesiarum ingredi, Custodum officia in diversis

## CAPUT III.

## A quo Custos constituendus; &amp; quae ejus Jura?

- 1 Jure communi electio Custodis spectat ad Parochum.
- 2 Consuetudine aliove titulo ad Edituos aliove spectare potest.
- 3 Parochus suum Ministerium habere debet.
- 4 Unde Custodibus competentia assignanda.
- 5 Custos partem suam habet in oblationibus.
- 6 Circa hoc jus Custodis observanda Consuetudo.

**C**um Custodes sint ministri Pastoris ut ipsi serviant in iis omnibus quae muneris ejus sunt, ut loquitur Synodus Audomarensis *tit. 20. c. 2.* naturale est ut Parocho competat jus constituendi Custodem tamquam ministerium suum; ideoque, nisi contraria consuetudo aut alius legitimus titulus probetur quo Parochus excludatur, non apparet quare ratione ab electione excludi queat.

II. Quia tamen Matricularii quoque ornamenta aliaque Ecclesiae utensilia curare est, quorum cura & ad Edituos Ecclesiarum solet spectare; hinc consuetudo multarum Ecclesiarum in constituendo seu eligendo Matriculario ipsos Edituos una cum Parocho admittit.

Quin tamen ex singulari titulo, aut legitima longa consuetudine ad alios jus illud transferri possit, dubium non est. Unde primo & ante omnia de titulo & consuetudine inquirendum; si vero de his non constat, aut non satis probentur, eo casu juxta jam dicta Parochus & Editui ad constituendum Matricularium praeter ceteris fundati videntur.

III. Jam pridem decretum fuit in Concilio Nannateni relatum in *cap. 3. De vita & honestate Cleric. Ut quisque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui secum cantet, & Epistolam & Lectionem legat, & qui possit tenere scholas, & admonere suos Parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.*

Clericum, de quo in citato decreto, eundem esse, quem hodie *Custodem* vocamus inter Canonistas convenit; & monet Boëtius Epo in commentario ad dictum Capitulum.

IV. Ulterius ad citatum Capitulum notat Glossa, quod Ecclesia dedicari non debeat, nisi dos pro duobus ad minus sufficiat Clericis.

Proinde non Parochus dumtaxat sed & Custos jus habet; ut sibi tamquam Ecclesiae Ministro dos competens ad sustentationem assignetur ex proventibus Ecclesiae. Ideoque cum decimae sint institutae, & ab Ecclesia ordinatae, ut Ministri Ecclesiae intertineantur, si haec ad Monasteria aut Capitula transferantur, tenebuntur eam dare ex illis portionem, ut non tantum Parochus, sed & ejus Minister, qui illi in functionibus suis assistere debet, decenter vivere queat.

Hinc Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 13. De reformat. tantum ex primitiis, decimis, aut aliunde redigi vult, quod pro rectoris aut Parochiae necessitate decenter sufficiat.*

Cum ergo ambigendum non sit, quin Matricularius Parochiae necessarius sit, nec ambigendum videtur, quin & assignanda e decimis competentia illius quoque necessitati respondere debeat.

Haec tamen intellige, nisi consuetudo aliove legitimo titulo onus sustentandi Custodem ad alios transfulerit, uti in Belgio multis locis onus illud incolis incumbit.

V. Deinde cum Custos in Officiis Ecclesiasticis Parocho ut Minister accedat; justumque sit, ut qui Altari servit de Altari vivat, nequaquam injustum est, ut Custos de oblationibus aliisque in ejusmodi officiorum per solutione dari solitis participet, quod & in plerisque Ecclesiis consuetudine obtinuit.

VI. Attamen circa quantitatem & particularia quaedam oblationum jura, Ecclesiarum non una sepe est consuetudo; quae cum nihil per se inordinari habere soleat, observanda est; ut in casu occurrente recte respondit & probavit Wamelsius *Consl. 436.*

Ecclesiis exercere: praecipuus & inuagimus singulis Decanis, ne deinceps quisquam ad custodiam deservituram admittatur, non tonsuratus, aut bigamus, aut qui ballivi, aut clientis Officium exercet, aut in judicio criminali interfuit, suamque in contententiam protulit, vel officium caponarii vel tabernarii aliudve vile & Clerico indignum exercet, aut qui barbam desert longiorem, seu vestem Clericis indecentem; atque ante admissionem dictis Decanis de vitae suae honestate & fidei sinceritate testimonium scripto exhibeat."

III. Simile est Decretum iisdem penè verbis conceptum Synodi Iprensis sub Rithovio anno 1577. *tit. 25. cap. unico*, solisque *Tonsuratos* ad hoc ministerium assumi permittens, " & de quorum probitate, religione, peritia, & laudabili conversatione, fide digno testimonio (sicuti decet *Ministros Ecclesiae*) constat." Idem requirit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit. 20. cap. 3.* Synodus quoque Antverpiensis sub Mirap *tit. 16. cap. 23.* ad officium Custodis non admittendos censet. "qui Ballivi, Praetoris, Procuratoris, aut simili officio funguntur, aut caponam aperiant; cum hujusmodi officii distracti, inquit, debent officium Custodis facere non soleant." *Et cap. 19. e. dixerat, ut Custos assumatur, qui boni sit nominis & sanae, & honestae conversationis, peritus cantus.*

Quin Synodus Gandensis anno 1613. *tit. 16. cap. 12.* & Decreta Synodalia sub Triest *tit. 16. cap. 20.* nec ad deservituram custodiam admitti volunt, "qui Collectoris vestigialium, caponis, tabernarii, vel alii vile & sordidum officium exercet; nec bigamus, sine legitima dispensatione."

Denique Synodus I. P. Cameracensis *tit. De ministeriis Ecclesiasticis cap. 10.* paucis multa comprehendens, ait: "Matricularii, & Custodes Ecclesiarum munera sordida, & plane Laica non obeant: Ne sint publicani, sylvatum, Custodes, villicii locatitii, nec vestitu praeseferant aliud, quam castum & modestum Ecclesiae ministerium, cui sunt attributi."

IV. Nullatenus ergo ambi potest quin Synodi Belgicae uno consensu Custodes Ministris Ecclesiae annumeraverint. Hinc Synodus Audomarensis loco jam citato ait: "Assumpti autem qui fuerint, abstineant omni tabernaculo ingressu & conversatione indecenti, vitam ducant Dei Ministris dignam, nec prodeant, saltem in Ecclesiam, aut ad obeundum quod sui est muneris, nisi in tonsura & habitu decenti."

Et Synodus Mechl. P. II. *tit. 17. cap. 15.* vult, ut in sua assumptione promittant, "se in officio Divino & administratione Sacramentorum superpellicio usuros, alioquin officio privandos. Et si Custodes non resideant, teneantur providere Ecclesiae de idoneo aliquo substituto, cum stipendio Ordinarii arbitrio illi constituendo."

V. Ex his patet, Synodos nostras conformiter ad jus commune non dubitasse, quin officium Custodis seu Matricularii sit officium Ecclesiasticum; ipsique Ministris Ecclesiae sint annumerandi; ideoque tamquam indubitatum supposuerint, veram esse Simoniam mediante temporali hujusmodi officium vel impetrare, ut in casu occurrente etiam respondit Wamelsius *Consl. 562.*

VI. Adhaec si quis attendat morum ac vitae honestatem aliasque conditiones in Matriculariis requisitas, eo titulo quod Parochis in suis assistere debeant functionibus, facile intelliget, quam a Patrum mente alienum sit, quod in praecipua & sublimissima functione, scilicet Sacrificio Missae, assistat nescio quis sordidus & immorigerus puer, aique tamquam Minister nomine totius Ecclesiae Sacerdoti respondeat: sed de hoc summo & nunquam satis deplorando abusu plura *Part. 2. tit. De Sacrificio Missae.*

# TITULUS V.

## De Aedituis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris pauperum Mensarum Sancti Spiritus.

### CAPUT I.

Qui, & à quibus constituendi? & quod ab electis præstandum juramentum?

- 1 Jure communi & moribus hodiernis eligendi sunt ex communibus Laicis.
- 2 Interdum possunt esse Ecclesiastici.
- 3 Illorum electio pendet à consuetudine.
- 4 Justum est ut interveniat Parochus.
- 5 Potest tamen subinde excludi.
- 6 Quid Parocho incumbat dum electioni intervenire nequit.
- 7 Juramentum noviter electi.
- 8 A quo recipi debeat.

**I.** Quod piorum locorum Rectores, locorum ipsorum curâ postposita, bona, res & jura ipsorum interdum ex occupatorum & usurpatorum manibus excutere negligenter; quinimo ea collabi & deperdi, domus & aedificia ruinis deformari permittent; quin & proventus eorum in usus suos damnabiliter converterent, videns Synodus Viennensis, statuit "Ut nullus ex locis, ipsis secularibus, Clericis in beneficium conferatur; etiam, nisi de consuetudine (quam, aut, reprobamus) hoc fuerit observatum: nisi in illorum fundatione secus fuerit constitutum, seu per electionem sit de Rectore locis hujusmodi providendum, sed eorum gubernatio Viris providis, idoneis & boni testimonii committatur, qui sciant, & valeant bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum proventus & redditus in personarum miserabilium usum, fideliter dispensare; & quos in usus alios bona prædicta convertere præsumptio verisimilis non sit. *Clem. QUIA CONTINGIT, De relig. domib.*

Conformiter ad hanc Concilii Viennensis constitutionem iterato à Concilio Tridentino innovatam, moribus obtinuit, ut Aeditui Ecclesiarum; itemque Magistri Mensarum S. Spiritus eligantur communes Laici, boni Patres familias ex cujusque Parochiae incolis; adeo ut nec Ecclesiastici, imò nec Laici nobiles aut Officiales, sed mercatores, opifices, alique simplices cives, aut pagorum incolae sint eligendi; uti tradit Autumnus ad leg. 33. *Cod. de Episc. & Cler.*

II. Hoc tamen cum ea limitatione intelligendum, nisi ex fundatione, aut inveterata consuetudine secus obtineat. Ecclesiasticos enim esse subinde Ecclesiarum Aedituos, seu Magistros Fabricæ non tantum ipsa multarum Ecclesiarum, præsertim quibus Canonorum Capitula intendunt, consuetudo ostendit; sed etiam ipsa Synodus Tridentina supponit, volens, "ut Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici Fabricæ cujusvis Ecclesiæ singulis annis rationem administrationis reddere teneantur Ordinario;" *Sess. 22. cap. 9. De reform.* Idem supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, uti manifestum erit ex verbis infra referendis.

III. Quibus verò Aedituorum seu Magistrorum Fabricæ, aut mensarum S. Spiritus electio competat, inter disciplinæ puncta referendum est, de quibus dici potest cum S. Augustino *Epist. 54. ad Januarium num. 3.* "Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit." Cum tamen hi Fabricæ & pauperum Magistri in hac bonorum administratione in locum ac vices Diaconorum, qui viduarum & pauperum mensis præpositi fuerunt, successisse videantur,

primitivæ ac puriori Ecclesiasticæ disciplinæ sat videtur conforme statutum Archidiaconatus Hispaniæ in Ecclesia Leodiensi, cujus territorium etiam vicina nobis loca complectitur, quo edicitur, nominationem Mamburnorum sive Magistrorum "Præcipue ad Parochos spectare, nisi ex contraria & legitime præscripta consuetudine, aut in largitionum fundatione secus fuisse institutum appareat evidenter. Quibus rursus casibus nihilominus Pastores nominationi seu electioni, nedum interesse, sed ut ritè omnia procedant, advigilare volumus. Quæ in re ut major cautio adhibeatur, sicut deinceps ejusmodi Mamburnorum electiones, populo imprimis Dominico aut Festo die immediate diem electionis præcedente inter Missarum solemniam præceteriato, & in termino per campanæ pulsationem specialiter convocato, ut is dispiciat cum Pastore de magis idoneis eligendis."

IV. Quod de Parocho hic dicitur, de consuetudine ubique pænè obtinet; ut nimirum Parochi interventu Magistri Fabricæ, & pauperum nominentur; ipsaque Synodalia Decreta probant.

Synodus Iprensis sub Rithovio *tit. 28. cap. 1.* Fabricis Ecclesiarum cujusque loci ex communi deliberatione Pastoris & Notabilium Parochianorum præficiantur, Magistri seu Gubernatores, omni exceptione majores bonæ conversationis & industriæ, atque ad bona Fabricarum conservandum, recipiendum, & utiliter dispensandum idonei & sufficientes, & nullo modo de hæresi suspecti. Idem de Magistris mensæ S. Spiritus decernitur capite sequenti.

V. Hæc iisdem verbis repetit, suisque Decretis inseruit Synodus Audomarenensis anno 1583. *tit. 22. cap. 1. & 2.*

Subinde tamen, vel ex fundatione, vel ex vetusta & nunquam interrupta consuetudine etiam contingere potest ut ad solos Laicos pertineat: quæ licet non nihil dura videatur utpote excludens Parochum, cui primario cura Ecclesiæ & pauperum commendata censetur, tamen toleranda est; eamque supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem in verbis: *Quod si Magistri Fabricæ Mensæ S. Spiritus, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint, & à Laicis instituantur &c.*

VI. Verumtamen ubi consuetudo ad Laicos privatim hanc nominationem detulerit, Parochi erit electoribus inculcare rationibusque persuadere, ut sine acceptione personarum eligant illos; quos administrandis bonis Ecclesiæ & pauperum convenientiores scient: illis ostendendo, quod si ex affectu carnali incapaces, aut parum idoneos nominaverint, se coram Deo debitores constitui eorum omnium, quæ per minus fidelem aut parum providam horum administrationem Ecclesiæ aut pauperibus subtraherentur; quæque habituri fuissent, si sine acceptione personarum capaciores electi fuissent. Hinc Synodus Iprensis an. 1609. *tit. 20. cap. 19.* postquam monuit multum interesse ut semper probi & fideles Magistri Fabricæ & mensæ pauperum constituantur, subjungit; *Viderint proinde qui alios & negligentes creant, num ad honorem similitum iniquarum coram Deo participes esse velint.*

VII. Electi priusquam administrationi se immiscere queant, medio juramento promittere debent in hujusmodi officio fidelitatem; quodque bona Fabricarum & pauperum conservabunt, & deperdita, quantum poterunt recuperabunt; ac utiliter juxta Fundatorum intentionem & necessitatem obviamem dispensabunt: quodque pro eorum bonorum conservatione & fidei dispensatione non mino-

minorem, sed, si fieri potest, majorem impendent operam & diligentiam, quam circa res proprias. Hæc est formula juramenti expressa in Synodo Iprensi sub Rithovio *tit. 28. c. 1. & 2.* & Audomarensi 1583. *tit. 21. c. 1. & 2.* cui quoad substantiam plerique in locis consueta formula juramenti consonat; nisi quod alibi addatur aliquid de annua redditione computus: uti videre est in Regulamento Concilii Flandriæ anni 1651. quod extat ad calcem statutorum Synodaliū sub D. Triest.

VIII. A quo juramentum illud recipi debeat, non eadem est omnium Ecclesiarum consuetudo. Alibi enim à Pastore, tamquam primario Ecclesiæ & pauperum intendente, & locum Episcopi tenente, recipitur: Hæcque consuetudo probatur à Synodo Buscoducensi tam sub Mettio, quam sub Masio. Prima quidem mandat, ut Magistri Fabricæ & mensæ S. Spiritus juramentum in præsentia Parochi infra mensem à suscepra administratione præstent *tit. 24. c. 7.* Altera verò ut antequam se administrationi immisceant, teneantur juramentum fidelitatis, instar tutorum & curatorum coram Parocho præstare, *tit. 12. c. 1.*

Alibi verò consuetudo habet, ut juramentum illud recipiatur à Magistratu, vel primario Officiali. Et quidem citatum regulamentum Concilii Flandriæ *art. 2.* injungit Magistris Fabricæ, & Mensæ S. Spiritus præstare juramentum fidelitatis coram Ballivo, Scautlero, Drossardo, aut alio primario Officiali ad quem pertinet.

Et cum Officialis Noviodunensis cujusdam Parochiæ Magistros Fabricæ evocasset ad præstandum juramentum injecta appellatione tamquam ab abusu, juxta usum Regni Franciæ, ad parlamentum parisiensi, cassatum, nullumque declaratum fuit decretum Officialis; dictumque est, juramentum hujusmodi Magistrorum, utpote qui Laici sunt, & solis rebus temporalibus præfixi, coram superioribus Laicis esse præstandum. *Papon lib. 4. tit. 12. Arrest. 14.*

In his ergo cujusque Ecclesiæ antiqua consuetudo tenenda est unde Synodus Iprensis 1609. *tit. 20. c. 22.* simpliciter dicit, "Ut qui admittuntur ad administrationem bonorum Fabricæ aut Mensæ pauperum, præstent Superioribus juramentum," non designando vel Ecclesiasticos vel sæculares.

### CAPUT II.

Quænam præcipue ab Aedituis & Magistris pauperum in administratione bonorum observanda.

- 1 Res sibi commissas ut proprias administrare debent.
- 2 Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu.
- 3 A consuetudine pendet, qui in alienatione intervenire debent elocationi publicæ instituenda.
- 4 Nec nisi præstita cautione.
- 5 In elocationibus prandia non facienda.
- 6 Lites non suscipienda sine auctoritate & prævio Superiorum examine.
- 7 Litteræ fundationum aliaque monumenta solite servanda.
- 8 Quid observandum dum ex Archivis aliquid extrahitur.

**I.** Imprimis ex ipsa lege justitiæ, & religione sui juramenti omni fidelitate res Ecclesiæ & pauperum tamquam res proprias administrare debent; omnem impendentes curam & studium, ut nihil vel eorum negligentia pereat, aut deterioretur.

II. Pro securiori autem bonorum conservatione principes nostri in Edicto ad Synodum P. II. Mechliniensem *art. 28.* conformiter ad jus commune interdixerunt omnem eorum alienationem, permutationem, oppignorationem sive hypothecationem, & in casum notabilis necessitatis, aut utilitatis, ratione cujus oporteret hujusmodi alienati-

oni consentire, intentionis suæ esse declarant, ut omnia prævidè examinentur, & sedulo discutiantur per Episcopum; aliosque ad quos hæctenus recurri solitum fuit, & ut à singulis respectivè obtineatur eorum consensus in scriptis.

Similiter Philippus II. Edicto ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut Judices Regii aliique habeant: tamquam nullas & invalidas omnes alienationes rerum Ecclesiasticarum, quæ factæ sunt sine consensu Superiorum, & contra venientis causæ cognitionem; idque non obstante quacunque, contraria consuetudine quoad alienationes post Edictum factas. Insuper pro invalidis reputari vult venditiones granorum, quorum termini nondum effluxerunt factas viliori pretio ob anticipatam solutionem.

III. Cum verò Edicta non expriment, quinam præter Episcopum huic alienationi consentire debeant, sed ad hæctenus observatam consuetudinem remittant, ea omnino attendenda & examinanda est; ut tamen Parochi, & Notabilium Parochianorum, qui de necessitate Ecclesiæ, aut Parochiæ, alii ve justis alienationis causis, præ cæteris melius solent esse instructi, judicium saltem expectatur, æquum & justumque est. Unde & Synodus Iprensis sub Rithovio *tit. 28. c. 4.* vult, "ut in majoribus negotiis, & maxime ubi de præjudicio fabricarum seu pauperum agitur, nihil administratores, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium consensu attentare præsumant."

Ad hæc ne in ipsa bonorum elocatione carnalis affectus se immisceat, ea viliori pretio amicitia aliæve humano intuitu elocando, cautum est Edicto Philippi II. supra citato *art. 25.* ne hujusmodi bona elocentur, nisi prævis tribus proclamationibus aut chartularum affixionibus in locis consuetis; vel saltem non elocentur minori pretio quam bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocari consueverunt; ita ut nec accipi queat poculum vini in diminutionem mercedis elocationis, nisi de consensu Superioris; sub pœna nullitatis talium contractuum.

Similiter Edicto Concilii Flandriæ supra allegato *art. 5.* cautum est, ne Magistri Fabricæ aut Mensæ pauperum, aut Receptores quidquam elocent, nisi publice, prævia chartularum affixione, & proclamatione; plusque offerens præferatur.

IV. Idem plerique Synodi Belgicæ inculcant; adduntque, ut non habeantur ratæ elocationes nisi sufficienti cautione data. Synodus Audomarenensis an. 1583. *tit. 21. c. 4.* Mechl. an. 1609. *tit. 21. c. 2.* & Iprensis an. 1577. *tit. 25. ca. 5.* quæ & addit, ut elocationes fiant omni privato favore leposito, præsentibus Notabilibus & aliis, qui interesse voluerint.

V. Denique Synodus P. II. Cameracensis monet, ne in hujusmodi elocationibus prandia fiant sumptibus ipsarum fundationum, nisi quæ à Fundatoribus sunt instituta.

Et sanè quid injustius aut inhumanius, quam bona pauperum, aut Ecclesiæ usibus deputata in hujusmodi convivorum inutiles & superfluos sumptus impendere!

VI. Ulterius cum inter majoris momenti negotia merito numerentur lites; quæ, ut experientia notum est, non sine magnis sumptibus agi consueverunt; & ad quas Administratores & Receptores nonnumquam ob speratum lucrum ex vacationibus sunt iusto procliviores, merito Synodalibus Decretis ordinatum est, quod sine autoritate Superiorum & prævio maturo examine, à Magistris institui aut suscipi non possint.

Rectores Fabricarum aut mensarum S. Spiritus nullas lites assumant (ait Synodus Antverp. sub Miræo *tit. 21. c. 25.*) nisi causa prius à nobis nostræ Vicariatu examinata, ne alicui inconsulta temeritate per injuriam molesti sint, atque non necessariis sumptibus, salariis, vacationibusque fabricas aut mensas pauperum gravent. Quod si etiam causa gravioris momenti sit, committetur alicui ex Vicariatu aut Decano Christianitatis, ut antequam lites instituantur, cum adversariis